



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 3. Sexuum inter se naturalis transmutatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

dent. Longo post tempore putamine abrupto  
 euolant, inde animalia pennigera, quos papi-  
 liones vocamus. Et paulò infrà. Fit ex quo-  
 dam verme grandiore, qui velut cornua ge-  
 mina protendit, primùm toto immutato, eru-  
 ca, deinde, qui bombyx appellatur, ex quo ne-  
 cydalis, inualidam dixerim. *Qua varia for-  
 marũ successio in semestri temporis spacio com-*

*Benedict.* *pletur.* Mira de animali quodam terrestri,  
*Perer. in* apud Iaponas, Pererius refert. Est illud  
*Daniel. 5.* corporis magnitudine figuraque non diffi-  
*cõment.* mile cani, mollissimo pilo, & suauissimis  
 ad edendum carnibus. Hoc certo anni  
 tempore vehementer appetit, & frequen-  
 tat mare; in quo identidem natans, & se  
 se mergens, membratim fit piscis. Tandem  
 exuta prorsus terrestris animalis figura in  
 piscis similitudinem & naturam commu-  
 tatur. Cùm igitur res interitui obnoxia  
 tantis polleant viribus, vt vna res in aliam  
 vertatur, non videtur ea vis demonibus  
 neganda, qui potentiã cuncta, quæ terræ  
 ambitu comprehenduntur, longo post se  
 interuallo, relinquunt.

## §. III.

*Sexuum inter se naturalis transmutatio.*

His naturalibus rerum commutationi-  
 bus

bus accedunt maris in feminam, & femina in marem transformationes, quas nullus, nisi omnem historijs fidem abnegare velit, inficias iuerit. Cænis femina, apud Ouidium, in Cæneum virum, in puerum Iphis puella mutata est.

Ouid. lib. 2.  
12. 9. & 15.  
Metam.

*Tiresias angues baculi violauerat ictu,*

*Deq; viro factus (mirabile) femina septem*

*Egerat autumnos,*

octauo autem rursus, visis & percussis anguibus iisdem,

*Forma prior redijt, genitinaq; venit imago.*

Ac ne hæc vt fabulosa explodantur, puerum ex virgine factum Paulo Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. in publicis Romanorum annalibus annotatum esse, & à Mutiano Consule pro vero sibiq; explorato accepisse, & à seipso in Africa manifesto exemplo compertum, memoriæ prodidit Plinius. Ex recentioribus quoque historiographis narrat Fulgosus, sua ætate, regnante Neapoli Ferdinando primo, duas Ludouici Guarnæ Filias Franciscam & Carolam post decimum quintum ætatis annum sexum mutasse, mutatoque

Petrus  
Fonsec. in  
5. Meta-  
phys. So-  
lus in 4.  
d. 1. q. 5.  
art. 8.

habitu pro maribus habitas Franciscum  
& Carolum deinceps nuncupatas fuisse,  
cuius exempli Petrus Fonseca meminit, &  
alterius similis Sotus de quodam qui ex fe-  
mina factus sit vir. Vnde argumentum du-  
cunt, putantq; non minùs arduum esse, vi-  
rum in feminam, quàm hominem in be-  
stiam mutare; quasi scilicet femina à viro  
non plus; quàm bestia ab homine discre-  
paret.

## §. IV.

*Qui authores, & qua exempla doceant, homi-  
nes in lupos, aliasq; bestias mutari?*

Rursum ait Bodinus, *transmutationem  
hominum in bestias agnouerunt Pomponatus,  
Theophrastus, Paracelsus, principes sua-  
etate Philosophi, Herodotus author antiquis-  
simus, Homerus poëtarum quasi Deus; M.  
Varro Græcorum Latinorumq; (Tullio teste)  
doctissimus, Pomponius Mela, Dionysius  
Afer, Strabo, Virgilius, Ovidius, & sexcenti  
alii viri eruditionis laude clarissimi, pro indu-  
bitato confirmant. Hoc exemplorum innume-  
rabiliū experientia, iudicia, & supplicia in-  
magos constituta, & diuina atq; humana om-  
nium gentium historia certissima probant, qui-  
bus se opponere, seq; solum sapere velle hominis  
frontis*